



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum pueri possint voto obligari ad religionis ingressum? 9

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

Sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de cōsensu patris; nec vxoris, nisi sit de cōsensu viri.

Ad quartum dicendum, quòd licet vorum eorum, qui sunt alterius potestati subditi, non sit firmum sine cōsensu eorum, quibus subiiciuntur, non tamen peccant vouendo: quia in eorum voto intelligitur debita conditio, scilicet, si suis superioribus placuerit, vel non renitentur.

## ARTIC. IX.

*Virum pueri possint voto se obligare ad religionis ingressum?*

78

*inf q. 189  
a. 5. co. Et  
4. d. 27.  
q. 2. a. 3.  
cor. Et d.  
38 q. 1 a.  
1. q. 3. q.  
ep. f. 17.  
c. 12. co. 3.  
c. 13.  
ad 10.*

*17. q. 2 c.  
Cōsaldus  
ex Alo-  
xandro.*

*20 q. 3. c.  
Puella.*

**A**D nonum sic proceditur. Videtur, quòd pueri non possint voto se obligare ad religionis ingressum. Cùm enim ad vorum requiratur animi deliberatio, non competit vouere, nisi illis qui habent usum rationis. Sed hoc deficit in pueris, sicut & in amentibus, vel furiosis. Sicut ergo amentes, & furiosi non possunt se ad aliquid voto astringere, ita etiam nec pueri (vt videtur) possunt se voto obligare religioni.

**¶ 2** Præterea, illud quod ritè potest ab aliquo fieri, non potest ab alio irritari. Sed vorum religionis à puero, vel puella factum ante annos pubertatis, potest à parentibus reuocari, vel à tutore, vt habetur vigesima, quæst. 2. canone Puella. Ergo videtur, quòd puer, vel puella ante quatuordecim annos non possit ritè vouere.

**¶ 3** Præterea, Religionem intrantibus, annus probationis conceditur, secundum regulam Beati Benedicti, & secundum statutum \* Innocentij Quarti, ad hoc quòd probatio obligationem voti præcedat. Ergo illicitum videtur esse, quòd pueri voto obligentur ad religionem ante probationis annum.

**S E D** contra, Id quod non est ritè factum, non est validum, etiam si à nullo reuocetur. Sed vorum puellæ etiam ante annos pubertatis emissum, validum est, si infrà annum à parentibus non reuocetur: vt habetur \* vigesima, quæstione secunda, canone Puella. Ergo licite, & ritè possunt pueri voto obligari ad religionem.

igionem, etiam ante annos pubertatis.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut ex supra dictis \* patet, duplex est votum, scilicet simplex, & solemne. Et quia solemnitas voti in quadam spirituali benedictione, & consecratione consistit (vt \* dictum est) quæ fit per ministerium Ecclesiæ; ideo solemnizatio voti sub dispensatione Ecclesiæ cadit. Votum autem simplex efficaciam habet ex deliberatione animi, quæ quis se obligare intendit. Quòd autem talis obligatio robur non habeat, dupliciter potest contingere. Vno quidem modo propter defectum rationis: sicut patet in furiosis, & in amentibus, qui se voto non possunt obligare ad aliquid, dum sunt in furia, vel amentia. Alio modo, quia ille qui vouet, est alterius potestati subiectus, vt supra \* dictum est. Et ista duo concurrunt in pueris ante annos pubertatis: quia & patiuntur rationis defectum, vt in pluribus; & sunt naturaliter sub cura parentum, vel tutorum, qui sunt eis loco parentum. Et ideo eorum vota ex duplici causa robur non habent. Contingit tamen, propter naturæ dispositionem, quæ legibus humanis non subditur, in aliquibus, licet paucis, accelerari rationis usum, qui ob hoc dicuntur doli capaces. Nec tamen propter hoc in aliquo eximuntur à cura parentum, quæ subiacet legi humanæ respicienti ad id quod frequentius accidit. Est ergo dicendum, quòd si puer, vel puella ante pubertatis annos nondum habeat usum rationis, nullo modo potest ad aliquid se voto obligare. Si verò ante pubertatis annos attingit usum rationis, potest quidem, quatum in ipso est, se obligare, sed votum eius potest irritari per parentes, quorû curæ remanet adhuc subiectus. Quantumque tamen sit doli capax ante annos pubertatis, non potest obligari voto solemnî religionis, propter Ecclesiæ statutum, quod respicit id quod in pluribus accidit. Post annos autem pubertatis possunt iam se voto religionis obligare, vel simplici vel solemnî, absque voluntate parentum.

ar. 7. hu-  
ius q.

ar. 7. hu-  
ius q.

ar. p. sc.

*In cor. 2.* Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de pueris, qui nondum attigerunt usum rationis, quorum vota sunt inualida, vt \* dictum est.

*ar. 3. q. 9* Ad secundum dicendum, quod vota eorum qui sunt in potestate aliorum, habent conditionem implicitam, scilicet si non reuocentur à superiori: ex qua licita redduntur & valida, si conditio existat, vt \* dictum est.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de voto solemnni, quod fit per professionem.

A R T I C. X.

*Utrum possit in voto dispensari?*

*479*  
*q. 2. 38.*  
*q. 1. 44.*  
*q. 1. cor.*  
*q. ad 2.*  
*q. 3. 2.*  
**A**D decimum sic proceditur. Videtur, quod in voto dispensari non possit. Minus enim est commutari votum, quam in eo dispensari. Sed votum non potest commutari. Dicitur enim Leuit. 27. Animal quod immolari potest Domino, si quis uouerit, sanctum erit, & mutari non poterit, nec melius malo, nec peius bono. Ergo multò minus potest dispensari in voto.

*ar. 3. leu-  
ius 9.* ¶ 2. Præterea, In his quæ sunt de lege naturæ, & in præceptis diuinis, non potest per hominem dispensari, & præcipue in præceptis primæ tabulæ, quæ ordinantur directe ad dilectionem Dei, quæ est ultimus præceptorum finis. Sed implere votum est de lege naturæ, & est etiam præceptum legis diuinæ, vt ex supra \* dictis patet: & pertinet ad præcepta primæ tabulæ, cum sit actus caritatis. Ergo in voto dispensari non potest.

*Ibid.* ¶ 3. Præterea, Obligatio voti fundatur super fidelitatem quam homo debet Deo, vt \* dictum est. Sed in hac nullus potest dispensare. Ergo nec in voto.

S E D contra, Maioris firmitatis esse videtur quod procedit ex communi multorum voluntate, quam quod procedit ex singulari voluntate alicuius personæ. Sed in lege quæ habet robur ex communi voluntate, potest per hominem dispensari. Ergo videtur, quod etiam in voto per hominem dispensari possit.

RE-